Quelle:
Copyright:



Leopoldi ducis Austriæ filii de Astrorum scientia, tractat. X.

Cod. X XII X.

Chartac. Fol. minor. fol. 13. 1 2.4.

Continet Leopoldi Ducis Austriæ X. tractatus de astrorum scientia, ab ipso ex variis authoribus transcriptos et in epitomen redactos. Initium operis est: "Gloriosus Deus et sublimis!" Paulo post in præfatione legitur: "Ego "sum, inquam, Leopoldus Ducatus Austriæ filius, qui post "longum et continuum studium Astronomiæ, habeo ad ho- "norem Dei tenaciter in intentione, omnia, quæ de Astrorum "scientia comprehendi, in unum volumen reducere. De mo- "tibus autem, quia multi de his copiose scripserunt et pro- "dixerunt, sumarie pertranseo, ut possum utilius effectibus "innotari. De quibus licet sufficienter scripserunt Philo- "sophi, nullum tamen ex eis inveni, qui librorum diver- "sorum sententias in unum coligeret, et ita studenti- "bus compendium generaret. Ad hoc ergo meum generale "et comune propositum suppliciter invoco Dei potentiam "ut in suo servitio me confirmet, ejusque sapientiam, ut "meum intellectum illuminet, et suam bonitatem, quod "sui gratia me conservet. – – –" Incipit compilatio "Leopoldi Ducatus Austriæ filius de astrorum scientia. "Nomen auctoris non quæratur, non enim unus Auctor sed "plurimi extiterunt auctores. Ego – fidelis illorum sui "observator, et diligens compilator." Postea sequuntur decem tractatuum tituli, quorum primus est de Sphæris et earum circulis et motibus. Tractatu 9no et sequen- tibus potissimum agitur de Astrologia judiciaria. In fine Tract. 10. habetur: "Explicit Leopoldus de Austria." Restant insuper quatuor folia, negligentia Bibliopegi ad calcem locata, quæ Tractatui 8vo jungi debent. Bibliothecæ Ms. p. quod etiam in Bibliothec. cæs. vindob. asservatur; typis excusum est, Augustæ Vind. ao 1489 per Erhard. Ratold, et Venet. 1520. per Melch. Sess. sam, in 4. Sub isto titulo: Compilatio Leupuldi Ducis Austriæ filii de Astrorum scientia.

Qualis Leopoldus is fuerit, nil certi apud scriptores invenire potui. Nonnulli autumant fuisse Leopoldum VII. Leopoldi Virtuosi filium, et Gloriosum dictum. Ita Zoecher in Lex. suo. Auctor Lexici univers., et Hic- cicolus, qui in Almagesto novo Part. I. Chronic. parte 2. pag. XL. hoc habet: "Leopoldus de Austria Astrologus magnæ famæ floruit circa annum 1200". cujus verba exscripsit Fabr. Bibl. med. et inf. lat. T. II. p. 270.